

lem cibum porrigit ad amicos et filios suos. Sicut A Eva non intellexit quod mortem tradidit viro suo; sic sunt omnes qui male agunt, mortem perennem poenamque perpetuam operantur. Consuetudo Romanorum et Gallorum Christianorum (est): mittunt viros sanctos idoneos ad Francos et cæteras gentes cum tot millibus solidorum ad redimendos captivos baptizatos. Tu omnes interficis, et vendis illos genti extere ignorantem Deum: quasi in lupanar tradis membra Christi. Qualem spem habes in Deum?

VIII. <sup>b</sup> Qui tecum sentit, aut qui communicat verbis alienis et adulationis, Deus judicabit. Scriptum est enim: *Non solum facientes mala, sed etiam consentientes damnandi sunt* (Rom. 1, 32). Nescio quid dicam aut quid loquar amplius de defunctis filiorum Dei, quos gladius supra modum dure tetigit. Scriptum est enim: *Flere cum fletibus* (Rom. 12, 15); et iterum: *Si dolet unum membrum, condoleant omnia membra* (I Cor. 12, 26). Quapropter Ecclesia plorat et plangit filios et filias suas quas adhuc gladius nondum interfecit, sed prolongati et exportati (sunt) in longa terrarum spatia... <sup>c</sup> Ut peccatum manifeste gravetur impudentiæ, impudens ibi habitat et abundat. Ibi venundati ingenui homines Christiani in servitum redacti sunt, præsertim indignissimorum, pessimorum, apostatarumque Pictorum.

IX. Idcirco cum tristitia et mœrore vociferabor: O speciosissimi atque astantissimi fratres et filii quos in Christo genui, enumerare nequeo quid faciam vobis! Non sum dignus <sup>d</sup> Deo neque hominibus subvenire. Prævaluit iniquitas iniquorum super nos. Quasi extranei facti sumus. Forte non credunt (quod) unum baptismum percipimus, vel, unum Deum patrem habemus. Indignum est illis; <sup>e</sup> Hibernia nati sumus, sicut ait: nonne unum Deum habetis? Quid dereliquistis unusquisque proximum suum? Idcirco doleo pro vobis, doleo, carissimè mihi; sed iterum gaudeo intra meipsum; non gratis laboravi, vel peregrinatio mea in vacuum non fuit; et contigit sæculus <sup>f</sup> tam horrendum, ineffabile. Deo gratias, creduli baptizati de sæculo recessistis ad paradysum. Cer-

<sup>a</sup> Bolland., *exteris*. Mox cum iisdem legimus *omnes interficis*, ubi Waræus perperam *toties interficis*.

<sup>b</sup> Sic Bolland. At Waræus., *vel qui te consentit? aut qui te communicat verbis adulationis*.

<sup>c</sup> Ita Bolland. Apud Waræum vero exstat hic locus ita corruptus et mutilus: *Ubi peccatum manifeste gravetur, impudenter abundat*.

<sup>d</sup> Deest hæc vox apud Bolland. Et mox desunt etiam apud eosdem sequentia: *Quasi extranei facti sumus. Qui paulo post exhibent: Unum baptismum percipimus, et unum Deum credimus. Indignum est illis, quod de Hibernia nati sumus: sic enim aiunt*.

no: vos migrare cœpistis ubi *nox non erit neque luctus, neque mors amplius* (Apoc. 21, 4); sed exultabitis sicut vituli ex vinculis resoluti, et conculcabit iniquos, et erunt cinis sub pedibus vestris.

X. Vos ergo regnabitis cum apostolis et prophetis<sup>1</sup> atque martyribus, et æterna regna capietis, sicut ipse testatur (qui inquit): *Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cælorum* (Matth. 8, 11). *Foris canes, et venefici, et homicidæ, et mendaces* (Apoc. 22, 15), <sup>2</sup> perjuri: *Pars eorum in stagnum ignis æternum* (Apoc. 21, 8). Non immerito ait Apostolus: *Ubi justus vix salvus erit, peccator et impius transgressor legis, ubi se recognoscit* (II Petr. 4, 18). <sup>3</sup> Ubi enim Coroticus cum suis sceleratissimis rebellatoribus Christi? <sup>4</sup> Ubi se videbunt, qui mulierculas baptizatas et prædia orphanorum spurcissimis satellitibus suis distribuunt ob miserum regnum temporale, quod utique in momento transeat, sicut nubes, vel fumus qui utique vento dispergitur? Ita peccatores et fraudulentum a facie Domini peribunt: justi autem epulabuntur in magna constantia cum Christo: judicabunt nationes et regibus iniquis dominabuntur in sæcula sæculorum. Amen.

Testificor coram Deo et angelis suis, quod ita erit, sicut intimavit <sup>1</sup> imperitia mea. Non mea verba, sed Dei, et apostolorum atque prophetarum (quod ego in Latinum exposui), qui nunquam enim mentiti sunt. *Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. 16, 16). Deus locutus est. <sup>2</sup> Quæso plurimum, ut quicumque famulus Dei, ut promptus fuerit, ut sit gerulus litterarum harum, ut nequiquam subtrahatur a nemine, sed magis potius legatur coram cunctis plebibus, et coram ipso Corotico. Quod si Deus inspirat illos ut quandoque Deo resipiscant, et vel sero pœniteant quod tam impie gesserunt homicidæ erga fratres Domini, et liberent captivas baptizatas quas ante ceperunt, ita ut mereantur Deo vivere, et sani efficiantur hic et in æternum. Pax Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Amen.

<sup>1</sup> Hibernia quæ supra *Hiberione* appellabatur, in omnibus exemplaribus hic appellatur *Hiteria*. Waræ.

<sup>2</sup> Post hanc vocem interserunt Bolland., *illo in tempore*. Mox iisdem *credentes et baptizati*.

<sup>3</sup> Sic rescripsimus cum Bolland., neque enim placet *Unde Waræi*.

<sup>4</sup> Ita Bolland. Hæc vero hiulca et mendosa apud Waræum hic: *Ubi se videbunt, cum inter mulierculas baptizatas præmia distribuuntur*.

<sup>1</sup> Ita Bolland., ubi Waræus, *imperitiæ meæ: non mea verba, sed, etc.* Mox *Latinum* absque præpositione in.

## SYNODUS S. PATRICII

### CAPUT PRIMUM.

#### *De habitatione cum fratribus peccatoribus.*

De eo quod mandastis, de habitatione cum fratribus peccatoribus, audite Apostolum dicentem: *Cum hujusmodi ne cibum quidem sumere* (I Cor. 7, 14);

non ejus escas sumas cum eo. Cæterum si *bos sis et trituras*, hoc est, si doctor es et doces, *non obturatur tibi os* (I Cor. 9, 9), *et dignus es mercede tua* (Luc. 10, 7). Sed *oleum peccatoris non impinguet caput tuum* (Psal. 141, 5): sed corripue adhuc et argue.

## CAPUT II.

*De oblationibus eorum.*

<sup>a</sup> *Contentus tegmento et alimento tuo, cætera dona iniquorum reprobata (Eccli. xxxiv, 23), quia non sumit lucerna nisi quod alitur.*

## CAPUT III.

*De pœnitentia post ruinas.*

Statuitur ut abbas videat cui attribuetur potestas alligandi et solvendi; sed aptior est, juxta Scripturæ exempla, <sup>b</sup> veniam. Si vero cum fletu et lamentatione et lugubri cum veste, sub custodia pœnitentiæ brevis, quam longa et remissa cum temperamentis.

## CAPUT IV.

*De excommunicato repellendo.*

Audi Dominum dicentem: *Si tibi non audierit, sit tibi velut gentilis et publicanus (Matth. xviii, 37).* Non maledices, sed repelles excommunicatum a communione et mensa, et missa et pace. *Et si hæreticus est, post unam correptionem devota (Tit. iii, 10).*

## CAPUT V.

*De suspectis causis.*

Audi Dominum dicentem: *Stimite utraque crescere usque ad messem (Matth. xiii, 50), hoc est, donec veniet qui manifestabit consilia cordium (I Cor. iv, 5), ne judicium ante diem judicii facias. Vide Judam ad mensam Domini, et latronem in paradiso.*

## CAPUT VI.

*De vindictis Ecclesiæ.*

Audi item Dominum dicentem: *Qui effuderit sanguinem <sup>c</sup> innocentem, sanguis ipsius effundetur (Gen. ix, 6), sed ab eo qui portat gladium dicitur, <sup>d</sup> aut vindictæ innocens habetur. De cæteris autem per legem evangelicam, ab eo loco in quo ait: Et eum qui aufert aliquid a te, ne repetas (Luc. vi, 50), sed libenter; si ipse quid referat, humiliter recipias.*

## CAPUT VII.

*De baptismatis incertis.*

Statuunt ne rebaptizati (sint) qui symboli <sup>e</sup> traditione a quocunque acceperunt, quia non inficit semen seminantis iniquitas. Sin vero, non est rebaptizare, sed baptizare. Non absolvendos autem lapsos a fide credamus, nisi per impositionem manus <sup>f</sup> accipi.

## CAPUT VIII.

*De reis autem abstractis ab Ecclesia.*

Non ad reorum defensionem facta est Ecclesia, sed iudicibus persuadendum est, ut spiritali morte eos occiderent, qui ad sinum matris Ecclesiæ confugiunt.

## CAPUT IX.

(Desideratur.)

## CAPUT X.

*De lapsis post gradum.*

Audi canonica instituta: Qui cum gradu cecidit, sine gradu surgat: contentus nomine tantum, amit-

<sup>a</sup> Ad hunc locum videsis Cotelerium ad *Constit.* Apost. lib. iv, cap. 8, not. 5.

<sup>b</sup> Forte venia. WAR.

<sup>c</sup> Qui hunc textum suggestit, forte legebat in Græco *αἷμα ἀθώον*, pro *αἷμα ἀνθρώπου*, non bene percipiens scripturam in compendium deductam. COTEL. ad *Constit.* Apost. lib. ii, cap. 42, not. 6

At ministerium, nisi qui tantum a conspectu Domini peccans non recessit.

## CAPUT XI.

*De separatione sexuum post lapsum.*

Consideret unusquisque in conscientia sua si amor et desiderium cessavit peccati; quia corpus mortuum non illicit corpus alterius mortui. Sin vero, separantur.

## CAPUT XII.

*De oblatione pro defunctis.*

Audi Apostolum dicentem: *Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis (I Joan. v, 16).* Et Dominus: *Nolite donare sanctum canibus (Matth. vii, 6).* Qui enim in vita sua sacrificium non merebitur accipere, quomodo post mortem illi poterit adjuvare?

## CAPUT XIII.

*De sacrificio.*

**B** In nocte paschæ, si fas est ferre foras. Non foras fertur, sed fidelibus deferatur. Quid aliud significat, quod in una domo sumitur agnus, quam sub uno fidei culmine creditur et communicatur Christus?

## CAPUT XIV.

*De abstinenti. . . . a cibis.*

<sup>g</sup> Statutum ut Christi adventum sponsi nullas ratas leges inveniat jejunii. Quid autem inter Novatianum et Christianum interest, nisi quod Novatianus inde sinenter, Christianus vero per tempus abstineat? ut locus, et tempus, et persona per omnia observetur.

## CAPUT XV.

*De relinquenda vel docenda patria.*

**C** Docenda patria prius per exemplum Domini, et derelinquenda postea, si non proficiat, juxta exemplum Apostoli. Sed qui potest proficere, licet periclitatur, ubique doceat, et se ostendat; qui vero non potest, taceat et abscondat: alius quippe ab *Jesu* in domum suam mittitur, alius sequi jubetur.

## CAPUT XVI.

*De falsis episcopis.*

Qui non secundum Apostolum electus est ab altero episcopo, est damnandus; et deinde ad reliquam plebem declinandus et degradandus

## CAPUT XVII.

*De proposito monachorum.*

Monachi sunt qui solitarii sine terrenis opibus habitant sub potestate episcopi vel abbatis. Non autem monachi, sed *Vactro* periti, hoc est, contemptores solliciti ad vitam perfectam in ætate perfecta. Hoc est, **D** a viginti annis debet unusquisque constringi non attestando, sed voto perficiendo, ut est illud: *Unusquisque sicut proposuit corde suo (I Cor. vii, 37)* faciat, et ut *Vota mea reddam in conspectu Domini (Psal. cxv, 14, 18)*, et reliqua: quo voto vivitur, situs lo-

<sup>d</sup> Forte, Dictator autem. WAR.

<sup>e</sup> Leg. traditionem. Id.

<sup>f</sup> Leg. accipi.

<sup>g</sup> Cotelerius, *Monum. Eccl. Gr. tom. I, pag. 812*, hunc locum sic emendat: *Statutum, ut Christi adventus, sponsi, nullas ratas leges inveniat jejunii.*

corum coarctat : si superabundantia, in omnibus devitetur in vita; quia (II Cor. xi, 27) in frigore et nuditate, in fame et siti, in vigiliis et jejuniis vocati sunt.

## CAPUT XVIII.

*De tribus seminibus Evangeliorum.*

Centesimum (Matth. xii, 8, 23) episcopi et doctores, qui omnibus omnia sunt; sexagesimum, clerici et viduæ qui continentes sunt; trigesimum, laici qui fideles sunt, qui perfecte Trinitatem credunt. His amplius non est in messe Domini; monachos vero et virgines cum centesimis jungimus.

## CAPUT XIX.

*Qua ætate baptizandi.*

Octavo die catechumeni sunt, postea solemnitatibus Domini baptizantur, id est, Pascha, Pentecoste B et Epiphania.

## CAPUT XX.

*De parochiis.*

Cum monachis non est dicendum quorum malum est inauditum, qui unitatem vero plebis non incongrue suscepimus.

## CAPUT XXI.

*De retinendis vel dimittendis monachis.*

Unusquisque fructum suum in Ecclesia in qua imbutus est perfruatur, nisi causa majoris profectus ad a ultoris ferre permissio abbatis cogat. Si vero exierit, causa utilior cum benedictione dicatur, Ecce Agnus Dei, non quæ sua sunt singuli quærentes, sed quæ Jesu Christi (Philipp. ii, 21). Vocationis autem causam non permittant subditos b discurrere.

## CAPUT XXII.

*De sumenda Eucharistia post lapsum.*

Post examinationem carceris sumenda est, maxime autem in nocte Paschæ, in qua qui non communicat, fidelis non est. Ideo brevia sunt et stricta apud eos spatia, ne anima fidelis intereat tanto tempore jejuna medicinae, Domino dicente : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis (Joan. vi, 54).

## CAPUT XXIII.

*De juramento.*

Non jurare omnino (Matth. v, 34). De hoc consequente lectionis series docet, non adjurandam esse creaturam aliam, nisi creatorem : ut prophetis mos est : *Vivit Dominus et vivit anima mea* (IV Reg. ii, D 2, 4, 6); et : *Vivit Dominus cui assisto hodie* (III Reg. xviii, 15). Finis autem contradictionis est nisi Domino. Omne enim quod amat homo, hoc et juratur.

## CAPUT XXIV.

*De contentione duorum absque testibus.*

Statuunt ut per quatuor sancta Evangelia, ante

<sup>a</sup> Forte ulterius. WAR.

<sup>b</sup> An discutere?

<sup>c</sup> Forte ut. WAR.

A quam communicet, testatur quid probatur, et deinde sub iudice fama relinquatur.

## CAPUT XXV.

*De toro fratris defuncti*

Audi decreta synodi super istis. Frater torum defuncti fratris non ascendat, Domino dicente : *Erunt duo in carne una* (Gen. ii, 24). Ergo uxor fratris soror tua est.

## CAPUT XXVI.

*De meretrice conjugæ.*

Audi Dominum dicentem : *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur* (I Cor. vi, 16). Item : *Adultera lapidetur* (Lev. xx, 10; Deut. xxii, 22); id est, huic vitio moriatur, ut desinat crescere quæ non desinit mœchari. Item : *Si adulterata fuerit mulier, nunquid revertitur ad virum suum priorem* (Jer. iii, 1)? Item : Non licet viro dimittere uxorem, nisi ob causam fornicationis (Matth. v, 32; xix, 9) : ac si dicat, ob hanc causam. Unde si ducat alteram velut post mortem prioris, non vetunt.

## CAPUT XXVII.

*De voluntate virginis vel patris, in conjugio.*

Quod vult pater, faciat virgo, quia *caput mulieris vir* (I Cor. xi, 3). Sed requirenda est a patre voluntas virginis, dum *Deus relinquat hominem in manibus consilii sui* (Eccli. xv, 14).

## CAPUT XXVIII.

*De primis vel secundis votis.*

C Eadem ratione observanda sunt prima vota, et prima conjugia, e aut secundis prima non sint irrita, nisi fuerint adulterata.

## CAPUT XXIX.

*De consanguinitate in conjugio.*

Intelligite quid lex loquitur, non minus nec plus. Quod autem observatur apud nos, ut quatuor genera dividantur, nec vidisse dicunt nec legisse.

## CAPUT XXX.

*De vindicandis assuetis.*

Nunquam d vetitus licet : verum observandæ sunt leges jubilei, hoc est quinquaginta anni ut non asserantur incerta veterato temporis. Et ideo e omnes negotia subscriptione Romanorum confirmanda est.

## CAPUT XXXI.

*De gentilibus qui ante baptismum credunt, quam penitentiam habeant.*

Remittuntur quidem omnium peccata in baptismo; sed quia cum fideli conscientia f infidelem tempor... vixit, ut fidelis peccator iudicandus est.

*Finit Patricii synodus.*

<sup>d</sup> Forte vetitum. Id.

<sup>e</sup> Locus corruptus. Id. — Forte omnis negotiatio.

<sup>f</sup> Forte infidelis temporarius. WAR.